



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

In festo Portiunculæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

dum. Aug. lib. de catech. rudium. *Opus est ut non solum sanctus personaliter existat, sed etiam alios illuminando, causa sanctitatis sit.* Et hæc præstatur magis operibus quàm verbis. *Ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Hoc fecisse Ignatium testatur bulla ejus beatificationis. *Ignatius multis & eximius virtutum & gratiarum, & miraculorum donis illustratus fuit.* Plenus Stephanus gratiâ, plenus Ignatius virtute. Et in omni eminens, in paupertate, obedientia, &c. Plenus gratiâ ut illi S. Franc. Xaverius non nisi flexis genibus scriberet. Miracula plurima. His illustravit inprimis suam Religionem, ad quam fundandam ut dicit Greg. XIII. fuit à Spiritu S. inspiratus: quare Surius illum vocat Sanctissimum. Genebrardus illum dicit à DEO missum contra Luciferum, Sanderus, *Virum DEI, & à DEO motum ad opus quod fecit.* Elias vocabatur vir DEI, Contra Luciferum missus Archangelus. A DEO motus ad opus, ut Moyses ad fabricationem tabernaculi. Bozius vocat, *Virum clarissimum sanctitatis vitæ.* Doctor Pavia Portugallus vocat *Illustre exemplar sanctitatis, virum admirabilem, particulari cæli beneficio datum mundo.* Ita lucebat operibus suis, &c.

### In Festo Portiunculæ.

**C**Hristus verus Pontifex noster, sæpe etiam post suam mortem circa nos munia sui Pontificatus exercuit, non semel de cælo descendit ad templorum consecrationem. Non semel Sacrum Pontificaliter celebravit, &c. Hodie distribuit indulgentias, in templo suæ Matris, quæ hic loca idè dicta Angelica, quod ibidem cantus Angelorum audirentur, dicta de Portiuncula quia ibi Dominum in portionem suam assumpsit S. Franciscus. Non dubium quin Christus in hoc loco dando

dando indulgentias convenientissimè in hoc egerit, has convenientias inspiciamus.

S. Franciscus ad reparandam missus Ecclesiam, reparabat prædicando poenitentiam. Sed licet poeniteat peccatorem & culpa illi dimittatur ob quam poenam meretur æternam, adhuc manent sustinendæ poenæ temporales. Dimissa est Moyse incredulitas, tamen in poenam non intravit terram promissionis, &c. Duo enim sunt in peccato, Aversio à summo bono, & hæc si non sit dimissa punitur in æternum: & ad conversio ad bonum creatum. De hac Aug. in epist. ad Rom. prop. 42. *Unusquisque peccando, animam suam diabolo vendit, acceptam tanquam pretio dulcedine voluptatis temporalis.* Ita fit nobiscum ut si quis furetur magnam pecuniam Principi propter quod meretur mortem flet, orat veniam, dimittit illi Princeps mortem, sed minorem tamen statuit poenam. Franciscus in toto orbem voluit reparare, fuit verò mansuetissimus, ejus sunt verba in Manuali Francisc. *Postquam corrigere & emendare non possum prædicatione, admonitione, & exemplo: nolo carnis fieri ad puniendum & flagellandum sicut potestas hujus sæculi.* Voluit etiam hæc debita temporalia exolvi, favit illi in hoc Christus, & in domo illa instituit indulgentiam plenariam, quam Pontifices ad omnia templa sui Ordinis extenderunt. Factum id in templo B. Virginis, quia per illam nobis dona sua largitur Christus, &c.

### In Festo S. Dominici.

**D**E hoc sancto dicit Reginaldus. *Hic est qui in Adam non peccavit.* Aug. serm. de quinque panibus. *Si quis habuerit charitatem tantam, ut paratus sit mori pro Fratribus, in eo charitas perfecta est.* S. Dominicus voluit vendi pro filio viduæ, libros Palentiæ vendidit ut fame laborantibus succurreret. Coram

L

Inno-